

ex centro maximis obliquitatibus plani medij à plano vero cor-  
spondeat: ipse autem polus septentrionalis plani veri per libratio-  
nis motum, dicti circuli diametrum describat. Porro circulus mo-  
bilis insequatur planetæ motum, vt Venus suo motu incedens,  
relinquat duarum quamlibet se in sequentium intersectionem, idq;  
hac lege, vt anno exacto ad relictam denique reuertatur. Du&to  
verò circulo magno per vtriusq; plani polos, ab huius communi-  
cum plano vero intersectione, vtrinq; 90. gradibus numeratis,  
cum poli plani, veri & medij scilicet differunt, nodi seu interse-  
ctiones dictæ determinantur. Interim autem dum Veneris ad al-  
terutrum nodorum periodus completur, à polo plani veri per li-  
brationis motū, dicti circuli mobilis diameter bis describatur: Hæc  
autem ita fiant, quo planetam cum terræ centro tale pactum ini-  
isse appareat, vt quoties terra ad deferentis absidas fuerit, Venus  
vbicunque sit in deferente vero, maximè in septentrionem à plano  
medio deuiet, hoc est, maximè extra viam medium consistat. Præ-  
terea terra per quadrantem ab absidibus deferentis distante, ipse  
planeta cum toto suo plano vero, in medij deferentis plano iaceat.  
Sed terra reliqua loca intermedia peragrante, ipse quoque in de-  
uiationibus intermedijs suum cursum teneat. Hoc terræ, & pla-  
netæ pactum vt esset perpetuum, ordinauit Deus, vt primus libra-  
tionis circellus (vt ita dicam) eodem tempore semel reuolueretur,  
quo vna Veneris ad alterutrum mobilium nodorum fieret reuer-  
sio. Hæc vt exemplo illustriora fiant, si in aliquo deuiationis mo-  
tus principio polus septentrionalis plani veri à polo plani medij  
adiacentis, maximè meridionalis fuerit: Ac Venustantum in ma-  
ximo deuiationis limite, qui est septentrionalis, extiterit, terræ  
quoque centro in aliqua absidum Veneris commorante, in quar-  
ta anni parte, terra motu annuo ad locum inter absidas medium  
veniet, & eodem tempore planeta ad suam intersectionem, seu  
nodum mobilem. Et quia motus librationis commensuratur cum  
motu planetæ ad nodos, seu intersectiones, primus librationis cir-  
cellus quadrantem quoque conficiet, & per reliquum circellū, qui  
altero est velocior duplo, polus plani veri sub polū plani medij con-  
stituetur, quare & ambo plana coniungentur. Recedente autē pla-  
netā ab hoc nodo, terra procedet ad alteram absida eccētrici primi,  
& po-